

MEDIA.

Christi amor : nam, ut S. Bernardus ait, cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum, S. BERN., in *serm.*

Cœlestium honorum amor : uti S. Gregorius suavitatis his verbis : Si consideramus, Fratres charissimi, quæ et quanta sint, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. S. GREG. in *Registro.*

Vanitatis mundanæ consideratio : nam, ut sapienter S. Bernardus advertit, ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest. Hinc et alibi ait : Dic mihi, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? nihil eis ex remansit, nisi cineres et vermes. S. BERN., in *serm. Ecce nos reliquit.* IDEM, in *Medit.* Ideo, teste Stapletono, Jacob, cum nasceretur, tenuit fratrem Esau in planta pedis, quia justus et electus Dei considerat peccatum, et mundi vanitatem in fine suo. STAPLET., cap. II, in *Domin. 9 post Pent.*

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ de hac materia considerare debet Asceta. Primum est, ut firmiter sibi, aliisque persuadeat id, quod unanimiter SS. Patres et Ascetæ docent, et cum illis S. Cyprianus dicens : mundi amor et Dei pariter in uno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cœlum et terram nequaquam conspiciunt. S. CYPR. de 12 ab. Quod idem confirmat S. Hieronymus : Difficile, ait, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut hic ventrem, et ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias : ut in utroque sæculo primus sit, et in cœlo ac in terra appareat gloriosus. S. HIER., in *epist.*

Alterum est, ut certo sibi persuadeat, non posse se Christi discipulum esse, nisi et mundum odisset, et ab ipso haberi velit; sic enim ipse Christus prædixit : Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego ele-

gi vos, propterea odit vos mundus. JOAN., xv, 9.

Tertium est, ut sciat, quid sit relinquere mundum, nempe relinquere ea, quæ quarunt mundani, puta voluptates, divitias, et honores et similia. Deinde relinquere modum imperfectum, quo mundani opera ad cultum Dei et proximorum spectantia peragunt. Et tandem relinquere finem, propter quem mundani plerumque sua opera peragunt, scilicet proprium commodum et amorem. Hoc modo enim impletur concilium Apostoli suadentis, ut mundo tamquam non utentes utamur. LANGI., *opusc.* 21.

Quartum est, ut studeat non quocumque modo recedere a mundo, sed ita, ut eodem, aut majori fervore quo prius mundo serviebat, deinceps Deo serviat, juxta consilium S. Augustini dicentis : Amorem vestrum purgate, et quales impetus habeatis ad mundum, tales habeatis ad Artificem mundi. S. AUG., in *Ps. xxxi.* Quod ipsum etiam suadens S. Chrysostomus : Vivamus, inquit, Deo paululum, qui sæculo vivimus toti : dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies. Tempus est, ut aliquando tibi, domique tuæ provideas. S. CHRYS., s. 12.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Cor humanum mundi illecebris deditum, et carnalibus desideriis æstuans, a diabolo succensum et fervens per consensum, olæ succensæ simile est, quia, licet tot undas quasi fervescendo projiciat, quot nequitiis desideriorum ad opera exteriora extendit, tamen exundat, dumtaxat non abundat. S. GREG., xviii, *Mor.* c. II.

Cynicus Philosophus testamenti sui tabulis cavet, ne se supinum, sed dorso cœlum versus tumularent, eo quod censeret, universam orbis machinam inversam esse consideret tamen, rursus aliquando convertendam, et tum se oculos ad cœlum erectos habiturum. ENGELGR., p. I, *Luc. Ev. Embl.* 12.

In Ægypto nemo aratorum cœlum aspicit, eo quod terra non a cœlo per pluvias, sed a Nilo fluvio exundante irrigetur; idem faciunt mundi amatores, quia omnia bona sua a mundo habere se putant. *IBID.*

Non male mundi vanitatem declarans Seneca : Punctum est, inquit, in quo navi-

gatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis : hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro et igni dividitur. O quam ridiculi sunt mortalium termini, cum te in illa vere magna sustuleris, videbis exercitus ire subjectis vexillis, et licebit dicere : it nigrum campis agmen : formicarum iste discursus est in angusto laborantium. SEN., *Præf. Nat. qu.*

Nihil est in rebus humanis, inquit Philo, ac negotiis præter umbram, auramque levissimam, sine mora prætervolantem. PAULO, de *Deo.*

Bobus trituranibus similes sunt mundani; quia pro mundi gloria cuncti sudoribus libenter inserviunt, et gravium laborum jugo colla devotissime submitunt. S. GREG., ap. DREX. in *Amus.*, l. I, c. ult.

DAMNUM. — Persæ Saccorum soleme hoc modo celebrant. Vincitorum, qui ad supplicium duci debent, aliquem in sella Regis collocant, et veste regia ornant, faciuntque ei potestatem delicate et molliter vivendi, regisque pellicibus per eos dies utendi, nec quisquam impedit, quo minus, quod vult faciat; completo vero tempore flagellatum suspendunt : idem fere mundus cum amatoribus suis facit. FAB., conc. 2. in *Dom. 1 Quadr.*

Stapletonus recte mundo illud Apocalypsis : Vidi in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo, accomodatum; est enim mundus mare tumidum per superbiam, lividum per invidiam, fervidum per iracundiam, profundum per avaritiam, inquietum per acediam, spumosum per luxuriam, absorbens per ventris curam, ubi etiam major piscis minore devorat. Sed dicitur vitreum propter fragilitatem, nam transit mundus et concupiscentia ejus.

AUCTORES.

Didaeus Stella, de *Contemptu mundi.*
Ludovicus Granatensis, in *Locis communibus*, fol. 636.

Mathias Faber, conc. 5., in *Festo SS. Simeonis et Judæ* et conc. 2. in *Dom. 1 Quadr.*

Hieremias Drex, in *Rosis*, p. I, c. XII.
Henricus Engelgrave, part. II, *Lucis Evangelicæ embl.* 36.

TOMUS III,

Thomas Staplet., the. v, in *Dom. 19 post Pent.*, et the. II, in *Dom. 9 post Pent.*

Josephus Langius in *Polyant.*, v. eod.
Laurentius Beyrlinek, in *Theatro vitæ humanæ*, v. eodem.

Joannes Major, in *Magno speculo exemptorum*, v. eodem.

NOBILITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est quædam a progenitoribus accepta claritas juxta Aristotelem. Quia tamen interdum per propria merita aut divitias acquiritur Nobilitas, ideo, ut etiam hæc comprehendatur in definitione, latius forte sic describi posset : Est quædam status eminentia seu dignitas, certis quibusdam privilegiis gaudens. ARIST., l. II, *Rhet.*

DIVISIO. — Dividitur a S. Gregorio Nazianzeno in tres species; quarum prima suam originem superne trahit, quatenus scilicet omnes ad imaginem Dei conditi sumus; et de hac recte cecinit quidam Poeta :

Si Pater est Adam cunctorum, Mater et Eva,
Omnes nonne sumus nobilitate pares?

Altera præscum sanguinem et claros natales præfert; et hæc uti summum ortum habet, ita suum interitum ignorare non potest. Tertia est, quam propria virtus et eruditio parit. S. GREG. NAZ., ap. DREX., l. in *Job*, p. I, c. I, § 2.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Generositatem (id est, Nobilitatem) illius glorificat, contubernium habens Dei, sed et Dominus omnium dilexit illam. SAP., III.

Videte vocationem vestram, Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. COR., I, 26.

Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus (id est, qui se jactat ob nobilitatem) indigens pane. PROV., XII, 9.

Beata terra, cuius Rex nobilis est. *Eccl.*, x, 17.

Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ. *Prov.*, xxxi, 23.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Ille apud Deum est potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas sæculi, sed quem devotio fidei et sancta vita commendat. S. *HER.*, in *Quadam epist.*

Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, nec obscuras quasque et humiliori loco natas te inferiores putes. Nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos respicit singulorum, servum etobilem de moribus pronuntiat. Summa apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. S. *HER.*, ep. xiv.

Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quod nobiles quadam necessitate constringantur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Non enim datur nobili equo palma, sed cursui: et perumque nobilitas carnis insignibilitatem parit mentis. *IBID.*

Vacuum se ostendit in bonis, qui gloriantur in patribus. S. *CHRYS.*, in *Matt.*

Quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet ei generatio vilis, quem mores adornant? *IBID.*

Licet longam progenitorum seriem, et quidem clarissimam numeremus, in his gloriantium non est, nisi eorum virtutes superare contendamus, scientes, aliorum opera nihil nobis in judicio profutura; verum graviter nos condemnatura, cum optimorum parentum filii, et domesticis exemplis eruditi nihil profecerimus. *IBID.*, *hom.* xx, in *Joan.*

Cunctis unam atque eandem nobilitatem donavit Deus, cum dignatus est omnium Pater vocari. *IBID.*

Admonetur hic divites; vel genere nobiles secundum sæculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes et ignobiles, quoniam simul dicunt Deo: Pater noster, quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se Fratres esse cognoscant. S. *AUG.*, tr. de *l. Dom.* in *monte.*

Ille clarus, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, cum dedignatur

servire vitis et ab eis non superari. S. *CRYS.*, *sup. Matt.*

Melius est, ut in te gloriantur parentes, quam tu in parentibus. *IBID.*

Ingenia generosa doceri cupiunt, cogi non ferunt. *ID.*, m. in *Ep.*

Nonnullis solet generis nobilitas parere ignominiam. S. *GREG.*, in *Dial.*

Omnino iniquum est, nobiliora ingenia studiis deonestari minoribus, et eos, quos gravia expectant officia, voluptatis ac vanitatis occupationibus agitari. S. *CHRYS.*, de *Curial. nug.*

Animus ingenuus nil magis, quam rogari erubescit.

EXEMPLA.

QUALITAS. — Romanus Martyr vir nobilissimus Asclepiadi Præfecto in os dixit: Absit a me, ut nobilem me præset parentum sanguis, aut lex curiæ; generosa Christi sequela nobilitat viros. Non cupio, ut mihi, meoque generi quidquam parcat. Christi Sanguis pro me fusus me nobilitat. *DREX.*, in *Tob.*, p. I, c. 1, § 2.

S. Agatha, cum Quintilianus Prætor ei dixisset: Non te pudet nobili genere natam humilem et servilem Christianorum vitam agere? respondit: Multo præstantior est Christiana humilitas, et servitus, Regum opibus et superbia. *STR.*, 5 febr.

Maximilianus Imperator cuidam nobilitatem mille ducatorum pretio affectanti: Ditare te possum, respondit, at nobilitate non nisi propria virtus poterit. *BEYRLINCK*, *text. 4.* in *Festo S. Joan. Bapt.*

Alphonsus Aragonum Rex, cum aliquis ipsum a nobilitate maxime laudare, quod scilicet esset Rex, Regius filius, Regis nepos, Regis frater, hominem interpellans dixit, nihil esse, quod in vita minoris ipse duceret, quam quod ille tanti facere videretur; laudem enim illam non suam, sed majorum suorum esse, quippe qui justitia, moderatione, atque cum excellentia sibi regnum comparassent, successoribus vero non nisi onera regni cedere, et ita demum honori fore, si virtute potius, quam testamento illa suscipiant. A se itaque, si qua modo extent, eliceret ornamenta, non a patribus mortuis extorqueret. *PANORAM.*, l. II, de *gestis Alph.*

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Cicero, cum ob cognomen diceris incesseretur, monitus ab aliis, ut aliud cognomen assumeret, negavit, se id facturum, sed potius Ciceronis nomen factis illustrius effecturum, quam illustrissima Catonum, Catulorum et similium nomina fuerint. *PLUT.*, in *Apoph.*

Socrates sciscitanti, quid esset nobilitas? respondit: Animæ et corporis bona temperies. *STOB.*, f. 84.

Democritus quesitus, in quo consisteret nobilitas? Respondit: Nobilitas, ait, in bono, validoque corporis habitu, hominum autem nobilitas in bonitate morum sita est.

Diogenes interrogatus, quinam homines nobilissimi essent? respondit: Contemptores opum, gloriæ, voluptatis, vitæ, contrariis autem, paupertate, obscuritate, fame, labore ac morte superiores. *IBID.*

Theocritus audiens quemdam ob parentum nobilitatem gloriari: Heus, aiebat, vir bone, generosos arbitris esse non eos, qui ex honorum et illustrium stirpe prognati sunt, sed qui honestatem omnibus rebus præposuerunt. *IBID.*

Lycurgus studens cives suos ad morum emendationem traducere; Non nobis, inquebat, nobilitas et ductum ab Hercule genus proderit, nisi ea opera gesserimus, per quæ ille mortalium clarissimus effectus est, ac per omnem vitam, quæ honesta sunt, et discamus, et exerceamus. *PLUT.*, in *Laron.*

Iphicrates, cum Hermodius illi objiceret, quod patre suture natus esset; meum inquebat, genus a me sumit originem, tum vero in te desit. *BEYR.*, t. 1, in *Festo Nat. B. V.*

DAMNUM. — Socrates opes et generis nobilitatem non solum nihil in se habere nobilitatis dicebat, verum etiam omne malum ex illis oriri dicebat. *LART.*, l. II, c. v.

Sed et Diogenes nobilitatem, aliaque fortune bona, nihil aliud esse, quam velamina malitiæ dicebat, cum enim nobiles nihilo sint aliis meliores, tamen aliis licentius peccant. *IBID.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut, sum sagittarii eligun-

tur, non genus eorum, sed sagittandi dexteritas inquiritur; sic in amicorum electione, non unde nati, sed quales sint, inquirendum, uti recte Bion Antigono Regi dixit. *STOB.*, f. 84.

Sicut lateres figulis ex luto tantum originem ducunt; sic nobilitas obscuris ex parentibus quoque nascitur. S. *GREG. NYSS.*, ap. *Lang.* in *Polyant.*

Sicut neminem nutrit fumus obsoniorum, sed nares tantum provocat; ita neminem beat stemmatis antiquitas, sed virtutis dumtaxat admonet. *THREVER.*, in *Apoph.*

Sicut luna, quo remotior est a sole, magis splendet: ita nobilitas, quo magis se deprimit, et elongat a Deo, eo magis fulget. *FAB.*, *conc.* 9, in *Fest.*

Sicut longe præstantius, majorique dignum laude est, domum edificare, quam inhabitare, aut ornare ædificatam; ita excellentius longe est, ab se partam nobilitatem possidere, quam servare ab aliis acceptam. *NAT.*, B. V. *BEYRL.*, t. I, in *festo Nat.*

Sicut canum et equorum origo nihil ad cursum expeditorem facit, neque illis palma datur, sed cursui; ita non nobilitas, sed virtus expeditum facit ad viam salutis decurrendam. *IB.*, ex 3 *AMBR.*

Sicut Phydias inclutus ille sculptor Minervæ effigiem suam ita insculpsit, ut non nisi confracto clypeo eximi posset; ita Deus nobilium indoli et sanguini se appetitum honoris impressit, ut nisi prava educatione corrumpantur, aut morte frangantur, eripi non possit. *ARIST.*, l. de *Mund.*

MISCELLANEA.

Non male stemmatum vanitatem expressit Juvenalis, dum cecinit:

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice longo.
Sanguine censeri? pictosque ostendere vultus
Majorum, et stantes in curribus Emilianos?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
JUV. SAT. I.

Sapienter etiam Seneca, bona mens, inquit omnibus patet. Omnes ad hoc nati sumus nobiles. Nec ejiat quemquam Philosophia, nec eligit, omnibus licet. Patritius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit,

et rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. SENEC., l. I, *Controv.*

Quid aliud est nobilitas, inquit Ludovicus Vivès, quam nascendi sors et opinio a populi stultitia indicta? aut quæ sæpenumero latrocinis quaeritur. LUD. VIVÈS, in *introd. ad Sapient.*, c. III.

UTILITAS. — Omnes boni, inquit Cicero, nobilitati favemus, quia Reipubl. utile est, nobiles esse homines, dignos majoribus suis. CICERO, *pro Sestio*.

Pontifex in Veteri Testamento, ut majori cum auctoritate docere legem et Principes posset, non aliam, quam nobilem virginem ducere audebat, uti Lev. 21 dicitur.

AUCTORES.

Hieremias Drexelius, in *Tob.*, p. I, c. 1.
Mathias Faber, them. IV, in *Auctar.* et *conc.* IX, in *Festo Nat.*, n. 3.

Laurentius Beyrlinck, in *Theatro vite humanæ*. V eod et text. 1, in *Festo Nativ. B. Virg.*

Ludovicus Granalensis, in *Locis communibus*, fol. 196.

Josephus Langius, in *Polyant.* V eod.
L. Annaeus Seneca, lib III, *de Benef.*, lib. I *Controvers.*

OBEDIENTIA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua exequimur jussa, et præcepta majorum, quia præcepta sunt. S. Thomas eam sic definit: Est virtus, quæ promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem præcipientis. JAC. ALV., *de Adopt. virt.*, l. III. Vel ut S. Bonaventura ait: Est spontaneum et rationale voluntatis propria sacrificium. In *Centil.*, p. III, sect. 44.

DIVISIO. — Dividitur communiter obedientia in divinam, et humanam, spectando personam, cui immediate præstat. Divina est per quam præcepta ab ipsomet Deo posita

implentur. *Humana* est, per quam hominis mandata executioni mandantur. Aliam quoque divisionem indicavit S. Ignatius sic loquens: Quemadmodum in hominum vita, duæ sunt hominibus propositæ ad beatitudinem viæ, altera pervulgata et communis, quæ divinis præceptis servandis continetur, altera illorum tantum, qui Christi consilia toto corda complectuntur; sic in ipsa Religione duo esse obedientiæ genera, quorum alterum est imperfectum, alterum perfectum et omnibus absolutum numeris, in quo vis obedientiæ elucet, hominisque religiosi virtus obedientiam male oculatam esse, perfectam sapienter cœcam; illam judicium sibi de imperatis rebus servare, hanc judicium proprium non habere: illam in alteram propendere partem hanc in neutram potius moveri: illam mandatis parere judicio repugnante, neque ad eam obedientiæ nomen mereri: hanc judicium judicio, voluntatem suorum superiorum subjicere voluntati, rectum credendo, quodcumque sit a superioribus præscriptum, neque rationes præscripti requireat ut sequi sed imperata avide arripere nulla alia de causa, nisi quia obedientia est. LUD. DE PONT., t. I de *Perf.* tr. VI, c. XI, l. V, *Vita*, c. IV.

ACTUS. — Magnam de suis superioribus astimationem concipere: quod obtinebitur, si iidem non ut homines fragilitatibus et imperfectionibus humanis obnoxii, sed ut Dei et Christi Vicarii considerentur, quemadmodum S. Paulus suos Ephesios monuit, et S. Bernardus clare sequentibus verbis confirmavit: Obedientia, quæ exhibetur Majoribus, Deo exhibetur, ipse enim dixit: « Qui vos audit, me audit. » Unde quiddam vice Dei præcipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud aliter accipiendum est, quam si præciperet Deus; quid enim interest utrum ipse per se, aut per suos Ministros, sive homines, sive Angelos hominibus patefaciat suum beneplacitum? S. BERN., l. I, *de Disc. et præc.*

De iisdem reverenter loqui, neque eorum defectus aliis manifestare: (hoc enim foret cum Cam nudationem Patris sui fratris nuntiare) sed potius ea silentio suppressere, exemplo Sem et Japhet, qui pallium imposuerunt humeris suis, et incidentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, ideoque benedictionem et amorem singularem patris meruerunt. GEN., IX, 22.

Etiâ exterioribus signis honorem et re-

verentiam illis exhibere: exemplo S. Francisci Borgia, qui non tantum, dum actu fungebantur superioris officio, sed etiam, postquam eam personam deposuerant, peculiari reverentia eos prosequeretur. LANCIZ., *Opusc.* 2, c. VIII.

Eorum dispositiones, quæ manifestum peccatum non continent, tam circa se, quam circa alios approbare, iisque placide acquiescere, atque eum in finem illud S. Davidis in similibus casibus usurpare: Obmutui, et non aperui os meum: quoniam tu fecisti. Ps., XXXVII, 40.

Eorum voluntatem sive verbis manifestatam, sive undecumque tandem cognitam, non aliter ac mandatum Dei, cum omni diligentia atque perfectione juxta gradus mox referendos implere: quemadmodum S. Paulus suasit, dicens: Quodcumque fecitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem. COL., III, 25.

GRADUS. — Quemadmodum, teste Ludovico de Ponte, quatuor sunt radices, ex quibus diversitas et perfectio obedientiæ oritur, ita varii quoque in quavis gradus assignari possunt. Prima radix sunt, ipsæ personæ, quibus obedientia præstat, in qua sequentes gradus assignari queunt. 1. Ut ipsi Deo velut supremo Domino et universali gubernatori obediatur. 2. Ut aliis sive Angelis, sive hominibus propter Deum obedientia præstetur. 3. Ut dominis et superioribus, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyseolis subditi simus, quemadmodum S. Petrus monet. I PET., II, 18. 4. Ut etiam invicem superiores nos arbitremur, et subditi simus in timore Christi, ut S. Paulus hortatur. PHIL., II, 3, EPH., V, 21. 5. Ut subditi simus omni humanæ creaturæ propter Deum, juxta S. Petri consilium, atque adeo etiam ab inferioribus voluntatem Dei cognoscere non horreamus juxta exemplum Heli per Samuelem consilia Dei intelligentis, I REG., III, 38, et Sancti Augustini, qui de se ipso fassus est, paratum se esse, alterius etiam inferioris judicium in omnibus sequi. T. III, *de Perf.*, tr. VI, c. XIII.

Secunda radix sunt res ipsæ in quibus obediendum est; circa quas sequentes gradus assignantur. 1. Ut mandata legis naturalis et Evangelicæ accurate observemus. 2. Ut etiam consilia, a Deo sive per occultas inspirationes, sive per creaturas manifestata, prompte exequamur. 3. Ut Regulas ab Or-

dine vel Superioribus præscriptas studiose servemus. 4. Ut in rebus maxime arduis, et quæ vires nostras quodammodo excedere videntur, prompte pareamus, uti Abraham filium immolare jussus, et multi alii Sancti fecerunt. LUDOV. DE PONTE, l. c. c. XIV.

Tertia radix sunt ipsi subditi, qui obedientiam præstare debent, pro quibus tres gradus idem Ludovicus de Ponte assignat. 1. Potentiarum externarum in ipso operum præcepto exequendo necessaria mortificatio. 2. Voluntatis propriæ abnegatio, et cum Superioris voluntate conformatio. 3. Proprii judicii subiectio. Quos quidem tres gradus fuse et sapienter explicat S. Ignatius in aurea epistola, quam ad socios suos in Lusitaniam scripsit, quam tanti fecit zelosus quidam ex Ordine S. Augustini Religiosus, ut dicere non sit veritus, se nescivisse, quid sit vera obedientia, donec id ex hac epistola sapienter studiose perlecta didicit. In., c. XV.

Quarta radix est ipsa modus obediendi, seu circumstantiæ, quæ in obedientia præstanda sunt observandæ, quæque ad sequentes potissimum revocantur. 1. Ut obediat *libenter et hilariter*, non ex tristitia aut necessitate; nam serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis, teste S. Bernardo: difficile quippe est, ut vultum non mutent, qui voluntatem mutant. S. BERN., s. *de Virt. obed.* 2. Ut quis *simpliciter* obediatur, ut S. Hieronymus suasit his verbis: Credas tibi salutare, quiddam monasterii Præposito præceperit, nec de Majorum sententia iudices cuius officii est, obedire et implere, quæ jussa sunt, dicente Moysè: Audi Israel et tace. EP. IV, *ad Rustic.* Sic certe, teste Cassiano, Ægyptii monachi universa complere, quæcumque fuerant a Præposito suo præcepta, tamquam si a Deo collitis edita forent sine ulla discussione festinabant. CASSIAN., coll. X, l. IV, *instit.* 3. Ut *velociter* obediatur; fidelis quippe obediens, teste S. Bernardo, nescit moras, fugit crastinitatem, ignorat tarditatem, præcipit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. S. BERN., s. *de Virt. obed.* 4. Ut *humiliter* obediatur; Christi exemplo, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. PHIL., II, 8. Ut *perseveranter* obediatur usque ad mortem, quanto magis aliæ difficultates minores fortiter superandæ erunt?